


angulorum parallelogrammorum latera reciproce sunt proportionalia. Ergo ut ipsa ld , ad dk , & ka , ad cl , verum ut dl , ad dk , et ab , ad ak , & lc , ad cb , Et ut igitur ab , ad ak , & ak , ad lc , & ipsa lc , ad cb . Duabus igitur datis rectis lineis ab , bc , comperæ sunt binæ mediæ continue proportionales ak , lc , quod oportebat inuenire.

VT ARCHITAS, iuxta Eudemi et Eutocii traditionem,

Datis duab⁹ rectis lineis, binas medias continue proportionales inuenire. Sint datæ duæ rectæ lineæ ab , c , quarum oporteat binas medias proportionales inuenire, describat circa maiorem ad , circulus $abdf$. Et per primam propositionem libri iii, ele. Eu, in circulo $abdf$, ipsi c , æqualis accommodetur ab , & producta coincidat in p , cum odp , tangente circulum $abdf$, in d , sed ad pdo , parallelus agatur bef , secans ad , in e . Intelligaturq;



hemicylindrium, quod ex campani traditione medietas rotundæ columnæ dicitur, rectum quidem in ipso abd , semicirculo. Intelligatur deinde in parallelogrammo ipsius hemicylindrii super ad , descriptus semicirculus qui velut parallelogrammum ipsius hemicylindrii ad rectos angulos est ipsius $abdf$, circuli plano. Is autem semicirculus circumactus velut a puncto d , in b , punctum, manente firmatoq; a , termino dimetientis ad , secabit in circumductione cylindricam superficiem describetq; in ipsa quandam